



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. LXVII. An futura sub conditione à Deo certo cognoscantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

vera: hoc autem, præterquam quod manifeste absurdum est, doctrinæ Arist. aperte aduersatur, quia in his contradictionibus putat, non alteram partem esse veram & alteram falsam, sed utramque veram vel falsam.

Retorqueretur eadem ratio.

16 Tertia ratio ex principijs Arist.

Deinde retorqueto argumentum, & probo utramque partem contradictionis esse falsam: nam si enunciatio affirmans est falsa, quia determinate affirmat, quod ambiguum est, eadem ratione negans erit falsa quia negat quod ad utrumq; anceps est: quia nõ dicit, non fore, quod non futurum est, sed non fore, quod futurum; aut non futurum est, quare ipsemet Arist. ex suis etiam principijs redargui, & conuinci facile potest. Tertio contra eundem ex ipsius principijs sic arguo, si in vniuersalibus contradictionibus hoc est, de subiecto vniuersali, & communi altera est vera distincte, altera falsa, vt in præcedentibus capitibus lib. 1. de intèrpretatione & in illo 3. in principio docuerat Arist. sit, vt in singularibus idem sit dicendum, id quod exemplo perspicuum fiet. Nam hæc propositio, *Omnis homo mortaliter peccabit cras*, & hæc aliquis homo non peccabit mortaliter cras, sunt contradictoriæ, & ex sententia Arist. altera illarum distincte falsa, altera vera: est enim contradictio vniuersalis: quod si aliqua ex illis est distincte falsa, manifestum est, esse vniuersalem illam, *Omnis homo peccabit mortaliter*: credendum enim est, in tota Ecclesia Dei aliquem cras immutem futurum à peccato mortali deinde altera particularis debet esse vera, cumque subiectum in vniuersali affirmante secundum regulas logicorum supponatur distributiue, & per descensum (vt aiunt) copulatiuum falsitas illius debeat deprehendi, ex eo quod aliqua singularis sit falsa, sequitur in contradictoria subiectum iupponi determinate: ac proinde eius veritatem esse probandam descensu, vt aiunt, distinctione, ex eo quod aliqua singularis distincte vera sit. Nam si solum esset confuse vera, aut falsa, nulla singularis esset vera: quare nec illa particularis: quæ omnia ex logicis notissima sunt, & extra controuersiam: & id eo prolixius non sunt confirmanda. Ergo sub hac, *Aliquis homo mortaliter peccabit*, si ea est vera, debet esse aliqua singularis, vt *Petrus peccabit*, quæ sit vera: ac proinde in singularibus de futuro contingenti datur aliqua propositio distincte vera. Constat igitur nec secundum fidem nostram, nec secundum rationem philosophicam, & naturalem veram esse sententiam Arist. vt à nobis superius explicata est.

17

CAPVT IV.

Solutio rationum prioris sententiæ.

Am vero argumenta sententiæ Arist. diluamus. Ad prius dicimus, necessariam quidem esse indifferentiam, vt res dicantur cum libertate euenire, tum etiam indifferentiam pugnare cum determinatione: sed non quamuis indifferentiam esse necessariam ad contingetiam, neque quamuis indifferentiam opponi cuius determinationi. Est igitur duplex indifferentia ad utramque partem contradictionis: quæ quam posuit Arist. & explicatur recte per duas propositiones, quas vocant de inesse hoc modo: res est indifferens, & suspensa ad fore, & non fore, ita, vt in se sic pendeat fore, sicut non fore, & hæc quidem pugnat cum determinata veritate alterius partis: quoniam in re cum hac indifferentia non magis est fore, quam non fore: vt

Quæ indifferentia requiritur ad libertatem & contingetiam futurorum.

autem sit determinate & distincte veritas, altera pars distincte futura est. Hanc vero indifferentiam & suspensionem existimo non esse necessariam ad libertatem arbitrij: imo arbitrij impossibilem, & contra fidem nostram, vt præcedentibus capitibus probatum est. Si quidem constat ex scientia, & prædictione Dei libertate nostra alteram partem distincte esse futuram: hæc autem determinatio non lædit aliquo modo libertatem nostram: quare nec aduersatur indifferentiæ, quæ ad libertatem necessaria est, & deinde explicabitur. Nam cum res futura determinate, ex libertate nostra futura sit, & inde ortum habitura, nullam ipsi vim, aut necessitatem inferre potest. Altera igitur indifferentia est, quæ explicatur per vnam propositionem de inesse, & alteram de possibili hoc modo arbitrium peccabit, potest, aut poterit non peccare, & contra. Cum hæc autem indifferentia constare etiam potest determinatio futuri, hoc est, alteram partem distincte de facto futuram esse: nihil enim obest, quo minus aliquid sit re ipsa distincte futurum & illud possit non fore, hæc igitur satis est ad statuendam plenam arbitrij libertatem, nam alio priori modo, vt indifferentia est impossibilis, ita etiam libertas: ergo nihil adimitur libertatis ex eo, quod dicamus futura, esse determinate, aut distincte vera. Ex quo etiam Deus futura nostri arbitrij distincte cognoscere potest, tamen si indifferens sit & liberum ad oppositum. Sed obseruandum est, cum dicimus, futura esse distincte, & determinate futura cum potentia ad opposita, nõ tantum hanc determinationem esse in effectu, sed etiam dici respectu causæ, non quod in causis sit nunc aliquid inclinans necessarium, & per modum nature ad illam partem, sed quod sit, vel futurum sit aliquid in causa, cum quo illa de facto ita sit operatura, vt possit nihilominus oppositum facere, & quia voluntas præuenit debet tali cogitatione ex hac aut illa causa, qua posita, reuera consentiet, etiam si posset non consentire, & cogitationi repugnare, in quo integra nostra libertas saluatur. Ad posteriorem rationem Arist. respondeo, posita veritate de futuro, aut scientia Dei, quod idem est, sequi aliquam necessitatem in operatione, sed consequentem, non antecedentem, quæ nihil voluntati nostræ adimit libertatis. De qua re quia disp. 68. plura dicturi sumus, vt conciliemus scientiam Dei, & veritatem illius, atque rerum, & propositionum (quod idem est) cum arbitrio nostro, hæc tenus dicta sufficiant.

18

19 Quæ sit necessitas in causa futuri contingenti.

Veritas futurorum quam voluit esse necessitatem.

DISPUTATIO LXVII.

An futura sub conditione, Deo certo cognoscuntur.

Quorundam Theologorum nostri temporis opinio, c. 1. Non minus certo futura, sub conditione, quam absolute futura à Deo cognoscitur, auctoritate probatur, c. 2. Eadem sententia ratione confirmatur, c. 3. Diluuntur argumenta oppositæ opinionis, c. 4.

CAPVT I.

Quorundam Theologorum nostri temporis opinio.

TAmetsi antiqui Scholastici nullam huiusmodi ante annis in Scholis ea ceperit disputari: digna tamen profecto est, vt diligenter examinetur: cum vt ea, quæ de scientia Dei difficulta sunt, exacte pertra-

pertrahemus: tum etiam, vt ad ea, quae de gratia & praedestinat. infra. & 1.2. q. 109. dicturi sumus firma aliqua fundamenta iaciamus.

Inter recentiores Scholasticos sunt, qui pro viribus defendant, nullam in Deo esse certam scientiam futurorum sub conditione, sed & nonnulli etiam arbitrantur scientiam, quam Scriptura de his futuris Deo videtur tribuere, esse solum coniecturam quandam. Sunt in primis in hac sententia quotquot asserunt, vnicam esse Deo rationem cogoscendi certo futura; scilicet praesentiam eorum realem in aeternitate. Nam cum haec futura non sint aliquo tempore reuera futura, etiam si aliqui sub conditione essent futura, nequeunt illo modo esse realiter praesentia aeternitati. Suaderi potest haec opinio 1. ex Aug. libr. 1. de praedestinat. Sanct. cap. 14. non longe ab initio, vbi contra nonnullos Massilienses, qui asserabant, quibusdam paruulis in infantili aetate baptisima non fuisse concessum, quia Deus praesciuit eos poenitentiam non acturos, si vixissent, arguit ex illo Sap. 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne scilicet deciperet animam illius, in hunc modum: Dicitur est enim (scilicet raptus est) secundum pericula vite huius, non secundum praesentiam Dei, qui hoc praesciuit, quod futurum erat, non, quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset: ergo, cum praedictio illa esset futurorum sub conditione, vt manifestum est, & dicat August. illud fuisse dictum, non quia praesciretur a Deo, sed quia pericula praesentis vitae id nobis humana coniectura indicare videbantur, sequitur August. plane fecisse, huiusmodi futura a Deo certo sciri non posse. Idem plane habet Prosp. Reg. in Epist. ad August. quae est ante illius librum de praedestinatione Sanctorum, vbi contra eisdem Massilien. sic loquitur. Sed in tantum quibuscumque commentarijs meritis electionem Dei subiungunt, vt quia praeterita, quae non extant, futura, quae non sunt futura, confingant: nouaque apud illos absurditatis genere, & non agenda praesentia sunt, & praesentia non acta sunt, &c. cum ait Prosper illos versari in eo absurditatis genere, vt dicant, non agenda praesentia esse, loquitur de illis futuris, quae absolute re ipsa futura non sunt, sed solum sub conditione, quae Massilien. vt merito electionis confingebant: ergo cum dicat non esse a Deo praesentia, perspicue docet, illorum apud Deum non esse praescientiam. Ratione vero probatur primo: nullum est in Deo decretum circa huiusmodi futura sub conditione, sed sine Dei decreto nullum futurum potest cognosci: ergo nec haec futura sub conditione cognosci possunt. Porro, Deum nullum circa illa habuisse decretum patet, est enim superfluum, ponere in Deo aliud consilium, & aliam definitionem faciendi aliquid, praeter ea, quae absolute facturus est. Nam si homines non solum apud se statuunt id, quod reuera facturi sunt: sed etiam id, quod sub conditione, si talis & talis occasio se offerret, facturi essent: hoc solum ad humanam providentiam pertinet, quia dubia, & incerta est: ob quod etiam prudens quilibet praeuire debet singulas occasiones, quae occurrere possunt: & quid in singulis facto opus sit, apud se decernere: verum cum Dei praesentia certissima, & efficacissima sit, vt nec decipi, nec impediri possit: frustra Deo tribuere mus huiusmodi

decreta sub conditione, quae pro varijs occasionibus alias apud se opere exequi statuerit. Secundo confirmatur, quoniam si aliqua ratione futura sub conditione cognoscuntur, est propter veritatem, quae in illis propositionibus reperitur, sicut de futuris absolute, disp. praeced. diximus: sed futura sub conditione, non sunt distincte vera: ergo certo cognosci nequeunt. Nam si esset vera conditionalis propositio, esset etiam bona consequentia: veritas enim earum propositionum, idem est, quod bonitas consequentiae: sed si esset bona consequentia, esset etiam necessaria: at necessaria esse non potest, quia auferretur libertas: ergo nec vera propositio. Tertio aliqui sic arguunt: haec scientia futurorum sub conditione non est simplicis intelligentiae, quia non est possibile solum, nec visionis, quia non est futurorum, quae reuera futura sunt, ergo est media quaedam scientia, quae videtur commentitia, cum Sch. omnes. duo illa tantum genera scientiae Deo concedant, esse vero in Deo aliquam scientiam solum ex coniectura, quidam probant ex illo Mat. 11. Et tu Capharnaum, nunquid vsque in caelum exaltaberis vsque in infernum descendes? quia si in Sodomis facta fuissent virtutes, quae factae sunt in te, forte mansissent vsq; in hanc diem, particula Forte, dubitantis est, quocirca non obscure indicat, scientiam hanc non esse certam, & infallibilem, sed coniecturam quandam humano more. Adiunt nonnulli recentiores, non solum hanc scientiam futurorum esse sine fundamento, sed etiam inutilem omnino, nam ad ea, ad quae videtur ex cogitata, videlicet ad conciliandam libertatem nostram cum diuina praesentione, ne illa laedatur, nihil omnino conducit, & alia via multo faciliori putant omnia saluari.

CAPVT II.

Non minus certo futura sub conditione, quam absolute futura a Deo cognosci, auctoritate probatur.

Veriori mihi semper visa fuit opposita sententia, quae duo docet, primum haec futura sub conditione, non minus certo a Deo cognosci, quam absolute futura, id quod auctoritate, & ratione monstrari potest. Deinde (cum multa in materia de praedestinatione, & gratia, quae iuxta doctrinam Patrum necessario dicenda sunt, ex scientia sub conditione sequantur) eam vtilissimam, & verissimam esse, verum namque vero semper consonat. Prius in hoc c. & seq. praestare conabimur, posterius vero suis locis videbitur.

Primum igitur sententia nostra multis Scripturae locis expressa videtur 1. Reg. cap. 23. consuluit Dauid Dominum, dicens, Si tradent me viri Ceila in manus eius, (scilicet Saulis) & si descendet Saul? & respondit Dominus, descendet. Et iterum Dauid, Si tradent me viri Ceile & viros, qui mecum sunt in manu Saul? Et dixit Dominus. Tradent. & c. 1. Reg. 11. dicitur. Rex Salomon admauit mulieres alienigenas de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras certissime enim auertent corda vestra, vt sequarini Deos earum, & Lu. 10. Va tibi Cor. ain. ve tibi Bethsaida: quia si in Tyro, & Sydone facta fuissent virtutes, quae facta sunt in vobis, olim in alio, & cinere sedentes paeniterent.

Neque vero refert quod Math. 11. eadem sententia habetur, addita tamen particula, Forte, ex qua nonnulli putant, praedictionem illam Christi si fuisse

Reverentiam placium.

Testimon. Aug.

2

Alia profp. in vltimo.

Primum argumentum. huius scripturae.

3

Secundum argumentum.

4 Tertium argumentum.

Mat. 11.

5

Scripturae Sacrae testimonia. 2. Reg. 23.

Reg. 11.

Luca. 10.

Math. 11. Particula Forte, quae scriptura significet.



6
 7
 8
 9
 10
 11
 12
 13
 14
 15
 16
 17
 18
 19
 20
 21
 22
 23
 24
 25
 26
 27
 28
 29
 30
 31
 32
 33
 34
 35
 36
 37
 38
 39
 40
 41
 42
 43
 44
 45
 46
 47
 48
 49
 50
 51
 52
 53
 54
 55
 56
 57
 58
 59
 60
 61
 62
 63
 64
 65
 66
 67
 68
 69
 70
 71
 72
 73
 74
 75
 76
 77
 78
 79
 80
 81
 82
 83
 84
 85
 86
 87
 88
 89
 90
 91
 92
 93
 94
 95
 96
 97
 98
 99
 100

Hierony.

August.

Chryso.

Gregorius.

Effugium
praedictur.

Gregory
Nysseni aper-
tum est
genium.

gnosis, progressum vite infantis ad perfectionem prohibere, ne, quod vi prasciamulum animaduersum est, in eo, qui ita victurus fuisse, perficiatur, atque ei, qui ea voluntate, arbitrioque victurus fuisse, nisi, nequitiae materia vita fiat. Hoc ipsum dixit etiam Porphy. cuius sententiam refert, atque probat Cyril. li. 3. contra Iulian. Idem etiam habet dilectis verbis Aug. lib. 2. de bono perfen. cap. 9. in principio, Certe (inquit) poterat illos Deus prasciens esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita, & paulo inferius repetit Domini sententiam de Tyrijs, & Sydonijs, qui si vidissent signa Bethsaidæ facta, pœnitentiam egissent: atque continuo subiungit. Sed nunquid possumus dicere, etiam Tyrijs, & Sydonijs talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent cum eis quali dicat, minime. Reddit rationem his verbis. Ipse Dominus attestatur quod scilicet essent magne humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum. Quasi dicat, cum Dominus ita prœdixerit, quis audeat oppositum de illis affirmare? Et in li. 1. ad Simplicia. q. 2. circa medium, de reprobis ait. Si vellet (scilicet Deus) etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur: ergo sciebat Deus quomodo posset eorum misereri peculiari illa misericordia prœdestinatis solum concessa. Id autem scire non poterat, nisi apud se notam haberet vocationem ita eorum arbitrio congruentem, quasi vocarentur, procul dubio responderent. Et paulo inferius, Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit congruere, vt vocationem non respiciat. Doctrina hæc ad d. familiaris est Augustino, vt superfluum sit plura alia ipsius loca in medium affere.

Postremo Scholastici aliqui pro hac sententia allegari solent, verum quia ex prascio non tractant hanc controuersiam, non placent illos referre; nec ex vno, aut alio ipsorum verbo hanc sententiam obscure colligere, cum adeo manifesta sint, & Scripturæ, & Patrum testimonia hæcenus recitata; nec minus perspicua ratio id ipsum demonstrat, vt seq. cap. videbimus.

C A P V T III.

Eadem sententia ratione confirmatur.

10
 11
 12
 13
 14
 15
 16
 17
 18
 19
 20
 21
 22
 23
 24
 25
 26
 27
 28
 29
 30
 31
 32
 33
 34
 35
 36
 37
 38
 39
 40
 41
 42
 43
 44
 45
 46
 47
 48
 49
 50
 51
 52
 53
 54
 55
 56
 57
 58
 59
 60
 61
 62
 63
 64
 65
 66
 67
 68
 69
 70
 71
 72
 73
 74
 75
 76
 77
 78
 79
 80
 81
 82
 83
 84
 85
 86
 87
 88
 89
 90
 91
 92
 93
 94
 95
 96
 97
 98
 99
 100

hoc solum confilii, vt quis asserat, vel paret fore, quod reuera futurum non est: ergo si scientia Dei non necessario sequitur res ipsas, sicut sunt, sed potest ipsum aliqui reuera latere, quantumuis bene coniecturam faciat; eius scientia fallax esse potest, quod est error in fide. Ergo potius aduertarij dicere deberent, Deum nihil horum futurorum distincte cognoscere, quia nihil distincte verum est: illud vero aliquando predicere, non secundum scientiam, quam ipse habet, sed quam homines solerti coniectura assequi possunt. Verumtamen ex Scriptura, & Patribus iam satis probatum manet, Deum secundum propriam scientiam, non secundum humanam coniecturam tantum, futura illa praedixisse. Nunc autem ratione hoc ipsum probandum est, quae est huiusmodi.

Eodem modo res aliqua se habet ad fore, aut non fore sub conditione, atque ad fore, aut non fore absolute; vt sicut inter fore, & non fore absolute non est medium aliquod, sed altera pars distincte est vera, & non tantum vera, aut falsa, altera vero distincte est falsa, vt praecedenti disput. monstratum est; sic etiam inter fore, & non fore sub conditione, alterum distincte sit verum, alterum distincte falsum; nisi quod in priori contradictione effectus est sine conditione, & ideo absolute affirmatur futurus: in posteriori vero cum conditione, quia in priori ponitur causa absolute, ex qua enunciatur effectus absolute futurus hoc modo:

Petrus vocabitur a me tali vocatione, cui respondebit: in posteriori autem, sicut causa ponitur non absolute, sed sub conditione, sic etiam effectus sub eadem tantum asseritur hoc modo: si Petrus in tali occasione hac vocatione vocabitur, respondebit: si vero tali, non respondebit, qualitas enim, & conditio apposta causae in effectum refunditur; in reliquo vero aequa videtur esse ratio vtriusque contradictionis. Ergo cum in absolute futuris altera pars sit distincte vera, altera distincte falsa, in futuris sub conditione eodem modo dicendum erit: omnesque rationes, quibus de absolute futuris id probauimus, idem de futuris sub conditione manifeste conuincunt: posita enim veritate distincte in altera parte contradictionis, & infinitate intellectus diuini, eodem modo sequitur, Deum ea omnia sub conditione certissime nosse: quia nullum verum, quod eo ipso intelligibile est, infinitam intellectus diuini perspicacitatem latere potest. Horum igitur futurorum scientia non minus Deo tribuenda est, quam aliorum.

Verum respondent aliqui, discrimen esse inter propositiones de futuro absolute, & de futuro sub conditione; in contradictionibus enim de futuro absolute, fatetur alteram partem distincte esse veram, alteram distincte falsam: at in contradictionibus de futuro sub conditione non semper alteram esse distincte veram, aut distincte falsam, sed aliquando quamlibet veram, aut falsam, eo modo, quo ex mente Aristot. de absolute futuris disput. praeced. c. i. explicauimus. Reddunt vero rationem, quoniam voluntas humana bifariam determinari potest: primum a se, sed ad eam partem, in quam a cognitione ipsa magis inclinatur, quam in oppositum: siquidem constat aliquando proponi voluntati vniam rem efficacius, quam aliam, & ob id in eam partem de facto determinari, & non in oppositam, & hoc modo concedunt, in contradictionibus de futuro tam absolute, quam sub con-

ditione, alteram partem esse distincte veram, & alteram distincte falsam. Deinde determinari potest voluntas a se solum, eo quod cogitatio non magis in vniam partem, quam in aliam rem ipsam proponit: sicut in Deo contingit, qui aequae apprehendens omnia, hoc potius decernit facere, quam illud, tunc autem concedunt in contradictionibus de futuro absolute, alteram partem esse distincte veram, alteram distincte falsam: at in contradictionibus de futuro sub conditione, non esse alteram partem distincte veram, alteram distincte falsam, sed quamlibet aequae indifferentem, vt sit, vel non sit, & ita veram aut falsam, futuram, aut non futuram, atque de Deo similiter philosophantur, vt semper distincte verum sit, absolute dicere, faciet, vel non faciet, aut distincte falsum: at sub conditione non item: vt si quis interroget, si Deus voluisset saluare Cain, decreuisset saluare Iudam? & in alijs huiusmodi, quae de Deo sub conditione enuntiantur, Ratio vero discriminis est, quia in absolute futuris quantumuis cognitio aequaliter obiecta diuersa proponat, nec magis in vnum, quam aliud inclinari fieri nequit, quin vna tantum pars sit re ipsa futura, nam vtraque suspensa manere non potest: in futuris vero sub conditione, cum nihil re ipsa futurum sit, dicere possumus ad vtramque partem arbitrium aequae suspensum mansurum, quia non est vnde futura esset determinatio. Solutio quidem subtilis videtur, sed si recte inspicatur, friuolam esse facile quoque patebit.

Primo quidem, falso dicit, in nobis determinationem oriri ex sola voluntate non magis in vniam partem, quam in oppositam cognitione inclinante: nam semper cum voluntas vnum prosequitur, efficitur illud proponitur, quam oppositum, quod relinquit: cum vero aequae opposita cogitantur, voluntas haeret: id quod experimento quotidiano omnibus compertum esse potest, si ad ea, quae interius geruntur, quisque diligenter attendat. Est nihilominus in voluntate libertas, cum vt id, quod efficacius proponitur, non sequatur: tum etiam, vt intellectum applicet ad efficacius considerandum oppositum. Si vero de facto aliquid sequitur, absque dubio illud efficacius considerauit intellectus: vt latius dicemus i. 2. q. 13. ar. 6. & q. 77. ar. 2. vbi ostendemus veram esse intentionem Theologorum, qui dicunt, in intellectu peccantis semper praecedere aliquem defectum considerationis: id quod non esset verum, si voluntas ex se sola absque diuersitate vlla ex parte cogitationis aliquando moueretur: ex quo etiam inferius disput. 98. c. 6. & 7. ostendimus non esse aequalem gratiam praeruentem in eo, qui actu respondet, & qui resistit.

Secundo, etiam si demus, voluntatem aliquam ex duobus aequae propositis, & aequae consideratis, vnum sequi, relicto alio: nihilominus concedi debet in contradictionibus de futuro sub conditione, altera distincte vera, altera falsa, non minus, quam in absolute: nam propositio sub conditione, ab absolute, sola conditione differt. Itaque ea purificata, & completa, propositio redditur absolute: ergo veritas, quae est in absolute, erit in conditionali sub conditione. Quocirca non minus in contradictione sub conditione, altera pars erit distincte vera, altera falsa, quam in contradictione absolute. Si enim posita nunc hac cogitatione, sequitur talis effectus, qui reuera ex sola voluntate non sequeretur, nisi illa, vel maior cognitio poneretur, negate determinationem.

Ratio vtriusque futuri.

Contra dicitur.

Aristot. Ratio determinatur ab eisdem.

Responso confutatur primo.

Voluntas nunquam determinatur ad aliquod obiectum, nisi efficacius illud proponatur quam oppositum.

Confutatur secundo.

Quaecumque cogitatio, cui qua operatur voluntas, cooperatur ad eius determinationem.

non possumus illam simul cum voluntate fuisse causam illius, ac proinde verum fore, si de futuro absolute aliquis diceret, hac cognitione posita, sequetur de facto talis effectus. Loquor autem de cogitatione minima, quam quis assignare voluerit, cum qua de facto operatura est voluntas, de hac igitur verum etiam esset sub conditione, si talis cognitio ponitur, voluntas sic operabitur, & sic de omnibus alijs conditionalibus, ergo sicut in absolutis altera pars est vera distincte, altera falsa, sic in conditionalibus dicendum est. Hac ratione probatum manet, quamcumque cogitationem, cum qua arbitrium absolute operabitur, esse causam determinationis voluntatis simul cum ipsa, neque ex se sola voluntatem determinari. Quod si verum esset, vt aduersarij contendunt, voluntatem ex se sola aliquando determinari sine vlla causalitate intellectus, propter quod asserunt, in propositionibus de futuro sub conditione, non semper esse alteram veram, quia cum voluntas ex se sola interdum determinetur absque vlla speciali inclinatione intellectus, non est determinate verum, aut falsum dicere, si talis cognitio poneretur, talis sequeretur effectus, certe non minus efficaciter ipsorum sententiam redarguere possemus hac sequenti ratione

Tertio res-
solvitur.

17

Tertio igitur, si aduersarijs concedamus, non quamlibet cogitationem cooperari ad determinationem voluntatis, adhuc si de illa sub conditione loquamur, altera pars contradictionis erit distincte vera, & altera falsa. Nam veritas conditionalis propositionis in bona illatione consistit, est enim simul consequentia, & propositio, & veritas illius, quatenus est propositio, est bonitas eiusdem, quatenus est consequentia, vtraque vero consistit in connexionione antecedentis cum consequenti, hæc ex Logice notissima sunt. Quare vbi consequentia conditionalis non est bona, sed mala; nec illa, vt propositio, erit vera, sed falsa. Ita accidit quoties pars antecedentis non coheret ordine aliquo, aut causalitate cum consequenti, vel contra: sed vtrumque simul accidit comitanter solum, veluti si quis dicat, si currit Petrus, mouetur, est bona consequentia, & vera propositio; si vero quis dicat, si Turca mortuus est, Petrus duxit vxorem, falsa est propositio, & mala consequentia: quia nulla profus est connexio antecedentis, & consequentis, etiam si simul ita eueniat, & quod Turca moriatur, & Petrus vxorem ducat. Cum ergo dicimus de Petro, si hac cogitatione præueniretur, hoc esset facturus, vel ibi assignamus causam, cum qua effectus sit connexus, vel non: si assignamus causam illius effectus, quem faciet, est vera illa pars: si vero non est causa, erit falsa: quia non erit bona consequentia; si quidem nulla erit connexio inter cognitionem illam, & opus arbitrij futurum: & contradictoria erit distincte vera, quæ præposita negatione assignari debet hoc modo: non si hac cogitatione præueniretur Petrus, hoc esset facturus. In his enim conditionalibus non recte contradictoria assignantur alio modo: quare hæc non esset contradictoria, si Petrus præueniretur hac cogitatione non esset facturus: sed vtraque esset falsa: scilicet, si Petrus præueniretur tali vocatione, esset facturus, & si Petrus præueniretur tali vocatione, non esset facturus, quia facere, aut non facere nullam cum illa vocatione connexionem haberet, si illa nec moueret ad faciendum, nec ad non facien-

dam: vt supponimus ex sententia aduersarij: ergo nulla via ipsi difficultatem euadere possunt. Quomodo autem de Dei voluntate sub conditione loqui debeamus, & qua ratione futura sub conditione, non cognoscantur sine aliquo de reo Dei, capite sequenti in solutione argumentorum dicemus.

CAPVT IV.

Diluantur argumenta opposita opinionis.

Fundamenta vero aduersarij, que primo cap. posuimus, conuellere operosum non erit. Ad testimonium August. respondeo cum contra Massilien. solum contendere nulla fuisse futura merita patulorum, qui præmature rapiuntur, à Deo præuisa, propter quæ Deus illis baptismum concesserit, vel negauerit: intelligit autem merita absolute futura, non sub conditione: eo quod, si Deus absolute, & de facto negauit baptismum, negauit propter merita absolute, non propter merita sub conditione futura. Nam merita sub conditione, non sunt vere dicenda merita, propter que, aut præmium, aut penam aliquis consequatur. Quis enim dicat, aliquem de facto meruisse præmium, aut penam, quam habet, quia si hæc, aut illam occasionem præ manibus habuisset, bene, aut male operatus fuisset: certe ista merita conficta esse nemo dubitet: quoniam si retributio absoluta est, meritum etiam esse debet: quod enim reuera futurum non est, quo pacto ad præmium, aut penam potest imputari? Hoc ipsum, contendit contra Massilien. lib. de bono perseuer. cap. 9. & 10. ideo autem dixit August. illud. Sap. 4. Raptus est, &c. dictum esse, Non secundum præsentiam Dei: intelligit absolute, quæ aut præmij, aut pænæ causa esse posset: sed secundum pericula præsentis vite: non quia coniectura tantum probabili illud Deus sub conditione præuidisset, sed quia secundum pericula, quæ infanti occurrerent, si vixisset, certo nouit Deus, mutandum esse intellectum illius. Nichilominus dixit, non secundum præsentiam Dei illud fuisse dictum, quia intellexit, vt explicauimus, de absolute, quæ sola ad rationem meriti, de quo ibi differbat Augustin. potest conferre. Quæ sententia plane indicat id, quod subsequitur. Qui (scilicet Deus) hoc præcuiit, quod futurum erat, non quod futurum non erat: ac si dicat, præcuiit id, quod absolute reuera futurum erat de illo puero, non quod futurum erat sub conditione: quia hoc reipia absolute futurum non erat. Explicat subinde, quid est id, quod in puero futurum erat, & quid id, quod de illo futurum non erat, his verbis: Id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset. Nouit ergo Deus, puerum præmature rapiendum: quod ita absolute futurum erat: nec sciuit autem ipsum peccaturum: intelligit etiam absolute: non enim addidit, si in tentatione mansurus esset, sic enim loqueretur de scientia conditionali: Sed qui in tentatione mansurus non esset, quod ad scientiam absolutam futurorum manifeste pertinet: ideo enim ipsum nesciuit peccatum, quia reuera mansurus non erat in tentatione. Hac etiam ratione Prosper contra eosdem Massilien. dixit, merita ista sub conditione, commentitia esse: & ideo appellauit nouum absurditatis genus, dicere ea, que reuera absolute futura non sunt, sed sub conditione, esse præcuiita: intelligit, scientia absolute, qualis ad ra-

18

19

August.

20

Secundum

Prosperum

ad ra-

ad rationem meriti necessaria est: vt exposuimus.

cooperationem suam non deneger.

Ex qua etiam solutione aliud inferitur notatione dignum: scilicet optime de Dei voluntate nos loqui, cum affirmamus, si hoc, aut illud Deus non voluisset, non decreuisset illud aliud: verbi causa, vere dicimus, si Deus decreuisset Adamum in statu innocentie a peccato praeseruare, non voluisset vtique verbum suum incarnari, supposita veriori sententia, quae docet non alia de causa Christum in carne venisse, quam vt Adamum cum toto genere humano redimeret: sic enim cum sit connexio inter obiecta, scilicet inter incarnationem, & remedium peccati; est etiam inter voluntates, vt vna sublata, alia etiam de medio tollatur. Contra vero vbi nulla est connexio voluntatum, quia nulla etiam est obiectorum, conditionalis propositio neganda est: verbi causa, si Deus voluisset Adamum conseruare in gratia, voluisset etiam facere aliud vniuersum, vel si decreuisset saluare Pilatum, decreuisset etiam saluare Iudam: certe haec propositiones negandae sunt, quia nulla est connexio antecedentis positi sub conditione, & consequentis: vbi autem nulla est connexio, sicut non est bona consequentia, sic nec vera propositio: vt cap. 3. monstratum est. Et quamuis haec propositio sit falsa, non propterea sunt verae haec quae videntur ei contradictoriae, & reuera non sunt: videlicet si Deus decreuisset saluare Pilatum, non saluaret Iudam: vel haec, etiam si Christus non saluaret Pilatum, nihilominus saluaret Iudam: sed omnes istae sunt falsae, sicut prior illa omnino affirmans; nec sunt illi contradictoriae. In conditionalibus enim contradictio debet assignari praeponeudo solum negationem, non negando alteram partem illationis, vt cap. etiam 3. notauimus: sed vbiunque in conditionalibus antecedens non heret consequenti, neganda est, & falsa propositio, siue sit antecedens affirmans, siue negans, siue consequens sit huius, siue alterius qualitatis. Et haec tenet de primo argumento.

Illatio ex responsione tradita. 23

24

Ad secundum respondeo, vt conditionales propositiones sint verae, & consequentia bona, non oportet eas esse necessariae veritatis, solum requiritur, vt semper sint verae. & consequentia illa semper sit bona: quae enim semel est bona, semper est bona, vt Logici docent: sicut autem propositiones absolutae de futuro contingenti, sunt ab aeterno & semper verae, sic etiam & conditionales: alioquin nec in Deo earum esset aliqua scientia: haec enim debet esse aeterna. Quomodo autem sit aeterna veritas propositionum de futuro, colligitur ex disp. praeced. cap. 1. & dicemus infra art. 15. Nihilominus contingit interdum, vt veritas conditionalis propositionis sit necessaria, quando ex vno colligimus aliud, quod naturali illatione consequitur: cum tamen ex cogitationibus inferimus operationes arbitrij, non necessario, sed vere enunciamus, & recte colligimus.

Ad secundum argum. 24

Obiectio. 25

Sed instabit aliquis vterius hoc modo: si consequentia non est necessaria, non potest esse bona, quia potest in ea dari antecedens verum, & consequens falsum, quod bona consequentiae repugnat: verbi causa, si ex eo quod Petrus praenatur tali cogitatione, non sequitur necessario, peccabit: ergo poterit fieri, vt Petrus tali praenatur cogitatione, & non peccet: & sic antecedens erit verum, & consequens falsum: ergo non erit bona consequentia. Respondeo consequentiarum

Diluitur.

Iam ad rationem veniamus: circa primam Doctores etiam nostrae sententiae variè sentiunt: quidam censent: Deum sub conditione etiam apud se decreuisse hoc, aut illud facere, si haec, aut illa causa poneretur, imo ex hoc decreto putant cognosci à Deo futura omnia sub conditione, secundum infinitas causarum combinationes, iuxta quas omnia apud se statuit, quae alias facturus esset. Mihi tamen id non probatur: nam, vt saepius diximus, & ex professo probabitur infra disput. 80. decretum Dei de re facienda nihil omnino addit supra suam naturam essentiam, nisi respectum rationis ad rem futuram: ita vt si nihil decreuisset apud se, nihil ipsi deesset, praeter respectum illum rationis: hunc autem non possumus colligere nisi ex eo, quod respectu futura sit. Aliter vero accidit in hominibus, qui apud se multiplicatis actibus intellectus, & voluntatis prouident, & statuunt, quid in hoc, & in illo euentu faciendum esset, etiam si illud non sit euenturum. Ergo cum posita hac occasione, verbi causa, Dauid manente apud Ceilanos, etiam si ipsi tali essent affectu, & dispositione, vt eorum arbitrium praesente illa occasione, si Deus non subtraxisset concursum, moueretur, vt traderent Dauidem in manus Saulis, tamen quia liberum erat, Deum cum illis cooperari, vel contra inclinationem talis cognitionis, & arbitrij sic contemperati concursum illis denegare, sine quo velle non posset, sicut igni subtraxit ne combureret pueros apud Babylonem: vnde nam colligere possumus, aut Deo tribuere potius respectum rationis concurrenti ad id, ad quod vocatio inclinabat, quam non concurrenti, quandoquidem re ipsa non est magis vnum futurum, quam aliud? Ad ea quidem, quae absolute futura sunt, optime dicimus, Deum decreuisse concurrere, quia re ipsa concursurus est: ad futura vero sub conditione, cum ei liberum sit, vnum, & aliud facere, & apud se non eliciat diuersos actus, sed per solum respectum illum essentia eius dicatur habere rationem de re ipsa, aut alterius rei, non est, vnde potius dicamus hoc decreuisse, quam illud.

Reprobatur.

21

Nihilominus dicendum est, in Deum certo cognoscere futura sub conditione, vt etiam sub conditione subintelligatur Dei decretum de concurrente cum arbitrio, hoc modo, Deus bene nouit, si Petrus in hac occasione, vel illa darem hanc, vel illam vocationem, & ego cum illa cooperarer secundum quod illa postularer, nec miraculose subtraherem concursum meum, fieret tale opus: possem tamen subtrahere si placeret: vtrum autem Deus esset negaturus concursum, an concessurus in eo casu nihil decreuit ipse, vt supra probatum est. Pro cuius explanatione obserua, eam vocationem, quam congruam appellamus, ita contemperari, & congruere arbitrio, vt ex se inclinet ipsum ad consensum: non quidem ita vt voluntas nequeat resistere, sed ita vt libere de facto ab ipsa consensum obtineat, cui si Deus negaret concursum suum, à quo actu pender omnis nostra operatio, non sequeretur in voluntate consensus, fieret tamen violentia vocationi, cui iuxta internum imperum, & inclinationem negaretur concursus quem exigebat. Ergo cum dicimus, Deus bene nouit arbitrium, posita tali vocatione, consensus, & eam propositionem esse veram, intelligimus, si Deus iuxta id, quod vocatio postulat, concurrat cum ea, &

22 Vera resp. proso ad argum. 21

20 Congrua vocatio, qua voluntas inclinatur ad consensum.

tiarum duplex esse genus: quoddam est earum, quæ fiunt in materia necessaria, & vniuersales assumunt propositiones: & in his ita necessaria est connectio consequentis cum antecedenti, vt repugnet ex natura rei dari antecedens verum, & consequens falsum: assumit enim propositiones ex natura rei necessarias, & indicat consequentia ex necessitate naturæ sequi consequens ex illis: at vero cum consequentia est ex antecedenti singulari, nec reduci potest ad vniuersales propositiones, tantum indicat re ipsa consequens sequi ex illo antecedenti tanquam ex causa, etiam si posset non sequi: & vt hæc sit bona consequentia, satis est, si reuera consequens ex antecedenti sequatur, etiam si posset non sequi. Axioma vero illud, *In bona consequentia non potest antecedens esse verum, & consequens falsum*, intelligitur cum agitur de forma syllogistica, vel alia forma argumentandi, quæ debet dispositione constare, vt ea seruata in quavis materia nunquam sit antecedens verum, & consequens falsum. Illa vero conditionalis de futuro singulari non est forma aliqua consequentiæ secundum dispositionem terminorum, quæ seruari possit in varijs materijs: sed ex ea causa singulari solum colligitur sequiturum talem effectum: tunc ergo erit bona consequentia, quando reuera colligit, quod sequiturum est: quando vero non est id sequiturum, non erit bona. Adde etiam quod tunc aliqua esset variatio in causa singulari, hoc est, in cognitione, qua præuenitur arbitrium, si non responderet: quia si arbitrium non responderet, non esset congnua cognitio: quæ variatio est in potestate nostra: vt dicitur p. 89. cap. 6. & 7. Iam dicemus: quare non seruaretur eadem omnino forma: quia non esset eadem omnino cogitatio, hoc est, cum omnibus circumstantijs, vt manifestum est, quo circa etiam in singulari consequentia possemus dicere esse determinatam formam, qua seruata, nunquam potest esse antecedens verum, & consequens falsum.

26

27

Ad tertium argumentum.

Scientia conditionalium est simplicis intelligentiæ, non visionis.

Rogabit vero aliquis, quænam fuerit connectio in illa propositione, quam Elias dixit ad Ioas Regem Israel, *Si percussisses Syriam vsque ad consummationem*. Respondeo solum esse connectionem ex promissione, & verbo Dei, qui Propheta reuelauit. Regem Ioas percussurum ad consummationem Syriam, si ipse iaculo terram sexies, aut septies percussisset: & ideo veram fuisse propositionem illam, non ex alia connectione reali causa cum effectu.

Circa tertium Theologi nostri temporis vehementer laborant, vt assignent hanc scientiam futurorum sub conditione, sub aliquo membro vulgaris illius diuisionis scientiæ Dei, simplicis nempe intelligentiæ, vel visionis. Ego quidem non constituerem sub scientia visionis, sed simplicis intelligentiæ: nam visionis scientia videtur esse, quæ visioni corporali assimilatur: quia nimirum ad rem ipsam existentem terminatur: quod vero sub conditione futurum est, non est huiusmodi: quare potius videtur esse simplex quædam intelligentia horum futurorum sub conditione. Vel si placet doctrinæ, & claritatis gratia tertium membrum constituit, quid obest? Quod enim antiqui Scholastici, qui hæcenus scripserunt, tantum meminere simplicis scientiæ visionis, & simplicis intelligentiæ, parum interest: tum quia illi de hac scientia sub conditione nihil omnino disputarunt, sicut meminere: tum etiam quia illi non dixerunt,

omnem scientiam Dei in duo illa membra solum diuidendam esse, sed cum de scientia possibilium agebant, appellarunt eam simplicis intelligentiæ, dum vero de scientia futurorum, vocarunt eam visionis ob rationem dictam: quid igitur si nos aliam ponamus, cuius ipsi mentionem non fecerunt, neque negarunt. Demum dissensio hæc vocum est, & non rerum: atque in hac re vane loqui, non multum refert: ergo non est multum de illa curandum.

Ad illud, quod adducebatur ex Matth. ad probandum scientiam hanc in Deo esse coniecturam solum, iam satis diximus cap. 2. constat igitur, veram esse sententiam, quæ scientiam horum futurorum sub conditione, Deo tribuit: quantæ vero vilitatis nobis futura sit, in deorsu præcipue materie de prædeterminatione, & gratia patebit. Fateor quidem interdum plures Theologos hac abuti doctrina, dum ministerium difficultatum nodos ea putant dissolui, cum tamen ad eorum solutionem nihil omnino conferat: quare ea moderatone in solutione difficultatum à nobis vsurpanda est, vt non potius estugium excogitatum, quam vera, & natia difficultatis explicatio esse videatur.

DISPUTATIO LXVIII.

An præscientia Dei tollat arbitrij nostri libertatem?

Catholica doctrina contra Hæreticos exponitur, cap. 1: *Præscientia argumentum VVicleffi contra nostram libertatem, cui Catholici varie respondent, cap. 2.*
Due alie eiusdem argumenti solutiones, cap. 3.
Vera solutio argumenti VVicleffi, cap. 4.
Posterius argumentum VVicleffi contra eandem libertatem, cap. 5.
Ideo rem futuram à Deo certo cognosci: quia futura est, non contra cap. 6.
Cerollaria totius disputationis, cap. 7.

CAPVT I.

Catholica doctrina contra Hæreticos exponitur.

Cum non solum in hoc loco, sed etiam infra tractatu de prædeterminatione, de libertate nostri arbitrij futura sit disputatio; operæ pretium duxi in hoc cap. breuiter enumerare errores, qui de hac re fuerunt, atque Catholicam doctrinam paucis exponere, & confirmare: longius enim contra hæreticos nostram libertatem offendere, superuacaneum erit: tum quia res notissima est, & Barbaris etiam satis peruulgata; tum quia grætes aliqui auctores luculenter satis ex Scriptura, & Patribus hanc veritatem demonstrarunt. Tho. VValden tom. 1. lib. 1. art. 1. c. 21. & sequent. Alphonsus de Castro contra hæreses verbo, Fatum: Rossensis ar. 36. contra Lutherum; Ruuardus; Tapper. ar. 7. Domin. Sor. li. 1. de natura & gratia, c. 15. Verga lib. 2. supra Concilium Tridentinum, c. 17. & sequentibus: Franciscus Feuard. in annotationibus ad trentanum, lib. 4. cap. 71. Cum vero de libertate est nobis controuersia, intelligenda est de libertate, quam appellant contradictionis, seu contrarietatis, non de libertate à coactione, dicitur autem libertas contradictionis, qua potest voluntas nostra velle aliquid, & non velle: contrarietatis vero, qua potest velle hoc, & oppositum: liberum autem à coactione idem est, quod sponte factum, estque

Scientia conditionalium est simplicis intelligentiæ, non visionis.

Walden. Castro. Rossens. Tapper. Sor. Verga. Feuard. Duplessis. Libertatem.